

1. sor bonæ fidei? Vide *verb.* Possessor bonæ & malæ fidei.

2. Quamam vero sit ignorantia Juris, & ignorantia facti; Vide *verb.* Ignorantia.

3. Damnum creditoris ipsi, vel tertio secutorum ex restitutione excusat pro restitutione differenda, quando prævideretur ipsi creditori, vel alteri in spiritualibus, aut temporalibus obtutura: unde non esset statim restituenda pecunia creditori, si prævideretur ipsam fore exponendam ad contempendam mulierem, ad luxuriosè vivendum, ad simonias committendas, ad se inebriandum, & hujusmodi. Item non esset creditori statim restituendus gladius, si prævideretur ipse, aut alter occidendus. Non esset ei reddenda clavis adulterina, si prævideretur, ea usurus ad furandum, & hujusmodi; quia tunc cooperaretur ad malum, adeoque esset ipsi differenda restitutio, donec essent remota talia pericula.

4. Impotentia ipsius debitoris excusat pro restitutione differenda, quando debitor habet veram impotentiam physicam pro tunc restituendi, nempe quando nihil penitus pro tunc habet unde solvat, seu restituat; quia impossibilitatem nulla est obligatio, & ad impossibile nemo tenetur; textu expresso in *leg.* Impossibilitatem 187. ff. de Regul. Jur. & cap. Nemo potest 6. de Regul. Jur. in 6. ibi: *Nemo potest ad impossibile obligari.* (Vide *lit. D.* pag. 54. n. 54. & pag. 60. n. 60.) Unde S. Augustinus relatus in *cap. Si res aliena* 1. *caus.* 14. q. 6. sic expresse dicit: *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, sed, ut dixi, cum restitui potest. Plerumque enim qui auferit, amittit, sive alios faciendos malos, sive ipse male vivendo, nec aliud habet unde restituat. Hinc certe non possumus dicere: Redde quod abtulisti.*

5. Immo non solum debitor excusatur pro restitutione differenda, quando habet dictam impotentiam physicam, sed etiam quando habet impotentiam moralem, nempe, quando non potest restituere, nisi cum suo notabili, & majori detrimento, quàm patiatur creditor, ex restitutionis dilatione; ut cum non potest restituere sine damno, vel periculo salutis animæ, corporis, famæ, libertatis, sine mutatione status honesti, & juste acquisiti, & sine longe majori suo damno in bonis temporalibus, quàm sit damnum creditoris ex restitutionis dilatione: *Sic in re Communis.*

6. Hinc potest debitor differre restitutionem, si ipsam non possit statim facere sine damno, seu periculo salutis animæ, ut si omnibus suis bonis traditis in restitutionem, cogereur mediis illicitis propriam, & suorum sustentationem procurare, *verb. grat.* se, & filios latrones efficiendo, uxorem, & filias prostituendo, & hujusmodi; *Communis.* Et ratio est, quia cum restitutio fieri debeat ad ponendam æqualitatem, non est faciendum cum jactura boni altioris, seu superioris ordinis, ut est salus animæ respectu aliorum temporalium bonorum, cum sic non poneretur æqualitas.

7. Item potest debitor differre restitutionem, si ipsam non possit statim facere sine damno vitæ, seu sanitatis corporalis, ut si omnibus suis bonis traditis in restitutionem, fame esset periturus, morbos gravissimos defectu comparandæ medicinæ toleraturus, & hujusmodi; *Communis* propter eandem rationem; vita enim, & sanitas corporalis est bonum superioris ordinis, quàm sint bona fortunæ creditoribus debita.

8. Item potest debitor differre restitutionem, si ipsam non possit statim facere sine jactura famæ, vel libertatis, ut si pro nunc restitutionem faciendo veniret in suspicionem gravis occulti criminis, indeque esset inevitabiliter diffamandus, aut ad comparandum præmium pro restituendo deberet se vendere, sicque propriam libertatem perdere; *Communis* propter eandem rationem; fama enim, & libertas est bonum superioris ordinis, quàm sint bona externa temporalia creditoribus restituenda.

9. Item potest debitor differre restitutionem, si ob ipsam statim faciendam deberet notabiliter cadere à statu suo honesto, & juste acquisito; *Communis*, debitor enim in tali casu reperitur in gravi necessitate, qua

proinde durante creditor non potest rationabiliter velle sibi debitum solvi cum tanta proximi jactura, cum talis notabilis mutatio status sui honesti, & juste acquisiti non posset fieri sine infamia, & gravi dedecore debitoris, & suæ familiæ: unde licet debita contraxerit, & in tali necessitate reperitur ex propriis delictis, *verb. grat.* quia luxuriosè & sumptuose vixit, lusit, & hujusmodi; tunc ne notabiliter cadat à statu suo honesto, & juste acquisito statu, potest restitutionem differre, si res aliena in individuo non extet; nam si adhuc in individuo extaret, teneret statim eam restituere, ut notant communiter Doctores.

10. Nota. In praxi tamen expendenda sunt serio circumstantiæ, quia debitor præsertim luxuriosè vivendo, non debet ex aliena re commodum recipere cum illius detrimento.

11. Satis à me sunt & serio expensæ circumstantiæ, ut patet *ibi*, & sub *num. seq.* ubi post multa adducta contra tales debitorum advertenda, ita concludit: *Sic communiter Doctores serio quoad hoc monent & debitoribus & confessoribus, ut sibi caveant.*

12. Quamvis tamen debitor ob restitutionem faciendam non tenetur notabiliter cadere à suo honesto, & juste acquisito statu, *v. gr.* non teneatur nobilis dimittere omnes quadrigas, vendere totam pretiosam suppellectilem, omnes pretiosas suas conditioni competentes vestes, & hujusmodi, nec teneatur artem mechanicam, aut actiones suo statui indecentes exercere; teneatur tamen mensa abundantiam, vestium superfluitatem, quadrigarum eorum, & famulorum multitudinem ad honestam mediocritatem reducere. Item tenetur à ludis, & conviviis, & superfluis dispendiosis itineribus, à aliisque superfluis expensis abstinere, & statum suum quoad pompam, & splendoris apparatus moderare.

13. Unde debitoribus hæc non facientes nequeunt à Confessoribus absolvi, cum sic nimis injuste alienum detineant, non curantes modo præfato paulatim restituere; nimis enim irrationabile, & intolerabile, injustumque est, quod debitis obstricti ex mercatorum, & operariorum sudore, & sanguine luxuriunt, pompose vestiuntur, delicate nutriantur, & hujusmodi. Sic communiter Doctores, serio quoad hæc monent & debitoribus, & Confessoribus, ut sibi caveant.

14. Debitor, qui notabilem statum sibi comparavit injuste, *verb. grat.* Mercator, aut alius, qui statum splendidum, vel nobilem sibi acquisivit ex usuris, foris, rapinis, & hujusmodi, non potest restitutionem differre, ne notabiliter cadat à tali statu, sed tenetur restituere etiam cum totali jactura talis status injuste de alieno acquisiti, cum hoc non sit de suo statu cadere, sed ab eo, qui non erat suus, ad suum descendere; nec minor sit iniquitas ex alienis statum conservare, quàm ex alienis illum sibi comparare: hinc nihil habens, nisi injuste acquisitum, tenetur totum restituere quantum citra extremam necessitatem carere potest etiam usque ad mendicitatem, nisi periculum infamæ excuset. *Communis* per textum in *cap. Cum tu 5. de usuris* ubi Pontifex expressio mandat, quod usurarii etiam sub pena excommunicationis compellantur ad restitutionem, & ob id debeant vendi etiam eorum domus, ac possessiones ex usuris acquisitæ.

15. Sicuti debitor, qui injuste sibi comparavit talem statum, ita etiam ejus hæres malæ fidei, *verb. grat.* filius usurarii, vel mercatoris injusti, qui mala fide cepit possidere bona injuste acquisita suo patre, tenetur restituere etiam cum mutatione talis status reiçdi, & inique acquisiti à suo patre; cum talis possessio male fidei nihil ipsi suffragetur, & mala fides possessoris defuncti nocet etiam immediato hæredi vivo; *arg. leg. ult. Cod. Communia, de usurariis; leg. Cum hæres, ff. de diversis, & temporalibus præscriptionibus, & S. Diutina, Insti. De usurariis.* (Vide *verb.* Feudum, art. 3. num. 10. De his *verb.* Præscriptio.) Si autem talis hæres bona fide possidere coeperit, & exinde cognoscatur talem statum fuisse à suo patre injuste acquisitum ex bonis alienis, tunc non tenetur notabiliter cadere à tali statu bona fide suscepto ob restitutionem statim

16. tim faciendam, sed poterit differre sicuti supra *num. 11.* & *12.* dictum est de debitoribus, qui statum suum honeste, & juste acquisivunt. Sic cum aliis Tambur. *leg. 8. tract. 4. cap. 1. §. 9. num. 5.* Sporer *loc. cit. num. 68.* & alii passim.

17. Debitor potest etiam differre restitutionem, si ob ipsam statim faciendam deberet pati in propriis bonis temporalibus aliquid notabile, & majus damnum, quàm patiatur creditor ex dilatione restitutionis, *v. gr.* Si debitor non possit statim restituere debitum, nisi vendat domum, villam, & hujusmodi multo minoris, quàm valeant, & aliunde effulgeat spes faciendi postea ipsam restitutionem commodius, & sine tanto detrimento. Tunc enim creditor non potest esse rationabiliter invitus pro tali sibi dilata restitutione ob dictum finem. *Communis.*

18. Si debitor, & creditor reperiantur in æquali necessitate gravi, ut si ex dilata restitutione æquale damnum emergat creditoribus, tunc debitor tenetur restituere. *Communis*, texte La Croix *lib. 2. part. 2. num. 430.* & ratio est, quia in pari causa potior est conditio creditoris habentis strictum Jus ad exigendum sibi debitum, quàm debitoris non habentis strictum Jus, sed solum licentiam charitatis ad debiti restitutionem differendam; Quod verius est, ubi debitum contractum est ex delicto, cum ratio dicitur potius favendum esse innocenti, quàm nocenti; iniquum enim est quod debitor ex sua malitia commodum reportet contra innocentem pari necessitate gravatum; *arg. cap. Intelleximus 7. de Judiciis*, ibi: *Ne videatur de sua malitia commodum reportare, l. Non fraudantur 134. ff. de Reg. Jur. §. 1. ibi: Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest.* (Vide *lit. A.* pag. 111. num. 88. & *D.* pag. 91. n. 43.)

19. Quando debitor, & creditor reperiantur in æquali necessitate extrema, si debitor prius in dictam extremam necessitatem incidit, non tenetur restituere creditoribus postea similem extremam necessitatem incurrenti, quia debitor in puncto extremæ necessitatis prius acquisivit dominium rei necessariæ Jure poli; Tum quia si debitor prius reperiretur in extrema necessitate, creditor, quamvis non esset talis, teneretur eidem subvenire; ergo à fortiori ipso debitor existente prius in extrema necessitate, non potest creditor ab eodem creditum exigere; *Communis.*

20. E contra si creditor prius incidit in extremam necessitatem, tenetur debitor statim restituere ipsi creditori rem suam duplici Jure, nempe & Jure domini ad illam rem, & Jure poli ob dictam extremam necessitatem; tum quia si debitor, quamvis nihil deberet creditori, teneretur eidem in extrema necessitate subvenire, quando ipse non esset in illa constitutus; ergo à fortiori teneretur eidem restituere rem suam, si prius ipse creditor incidit in extremam necessitatem, *Communis.*

21. Item si creditor conjunctus sit in illam extremam necessitatem per subtractionem illius rei cujus est creditor, tenetur debitor illam statim restituere, quamvis etiam ipse in tali necessitate extrema experiatur, quia non licet in extrema necessitate rem alienam usurpare, quando dominus est in pari extrema necessitate, cum in pari casu necessitatis melior sit conditio possidentis per textum in *cap. Ad aures 6. de præscript. cap. Quod autem 5. de Jurisjuratibus, cap. In pari 65. de Regul. Juris in 6. leg. Nemo 126. §. 2. & leg. In pari causa 128. ff. de Regul. Jur. (Vide *lit. D.* num. 40. cum *lit. C.* pag. 212. num. 3.) adeoque, &c. Ita Scotus in 4. *dist. 15. quest. 2. art. 5.* Lessius *lib. 2. de Jure, cap. 16. dub. 1. num. 13.* Silvester *verb. Restitutio §. 6.* & alii communiter, teste Lugo *disp. 21. num. 4.**

22. Quando debitor, & creditor simul, & eodem tempore incidunt in parem necessitatem extremam, tunc debitor tenetur restituere, saltem si debitor habeat in specie rem creditoris, neque talis res restituenda maneat adhuc sub dominio ipsius creditoris. Ita Scotus in 4. *dist. 15. quest. 2. art. 4.* Richardus, Paludanus, aliique gravissimi Doctores, præsertim antiqui, Vasquez *cap. 1. de elemosyna dub. 9.* Lugo *disp. 21. n. 4.* Reiffenstuel *theol. moral. tractat. 8. dist. 5. quest. 1.*

num. 11. & *dist. 6. quest. 6. num. 105.* Henno *tom. 2. tract. 1. disp. 5. quest. 1. conclus. 3.* & alii plures contra plures alios, præsertim recentiores fere communius tenentes vere probabiliter contrarium; Et ratio nostræ conclusionis est, quia in tali casu creditor, seu dominus illius rei nunquam decidit ab ejus dominio; ante necessitatem enim habuit rei dominium, & in puncto necessitatis acquirit novum Jus poli ad illam rem. Unde duplici Jure res illa ei debetur, primo propter rei dominium, à quo nunquam cecidit, & secundo propter æqualem necessitatem extremam, adeoque debitor in casu rem injuste detinet, & restituere tenetur; tum quia quando quis est dominus, & alter extraneus respectu rei hic & tunc extreme sibi necessaria, dominus præferendus est extraneo; in nostro autem casu creditor est vere dominus dictæ rei, cum nunquam ab illius dominio ceciderit, & debitor est extraneus, cum illius rei dominium nunquam habuerit, adeoque, &c. tum etiam quia si teneret sententia adversariorum, reus reportaret commodum ex suo delicto, cum patro furto, esset domino præferendus, & illo secluso postponendus: hoc autem nequit dici, quia iniquum nimis est, quod debitor nocens ex sua malitia commodum reportet contra creditorem innocentem pari extrema necessitate gravatum; *arg. cap. Intelleximus 7. de Judiciis*, ibi: *Ne videatur de sua malitia commodum reportare, leg. Non fraudantur 134. ff. de Reg. Jur. §. 1. ibi: Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest.* (Supra num. 17.)

23. Nec valet objicere: quod in extrema necessitate omnia sunt communia, & ideo debitor in illa constitutus possit tuta conscientia rem illam alienam sibi extreme necessariam retinere, & consumere, cum ratione talis extreme necessitatis sit jam facta communis, & non sit plus alterius, quàm sui. Non valet, inquam, quia licet in extrema necessitate sint omnia communia, quando cum alterius necessitate non concurrat per extrema necessitatem domini, secus tamen quando concurrat; in tali enim casu dominus, seu creditor duplex habet Jus ad illam rem, nempe & Jus extreme necessitatis æqualis ad illam debitoris, & Jus domini illius rei, quod non habet debitor, adeoque, &c.

24. Nec valet instare, quod melior est conditio possidentis, adeoque cum debitor possideat, præferri debet creditori non possidenti. Non valet, inquam, quia licet sit melior conditio possidentis, ubi dominus est dubius, & possessor non est malæ fidei; secus tamen, ubi possessor est malæ fidei, & dominus est certus, ut in nostro casu, cum Jus domini prævaleat Juri possessionis etiam Justæ, & à fortiori injustæ.

25. Nec etiam valet urgere, quod quisque tenetur magis servare vitam propriam, quàm alienam, adeoque debitor habens in extrema necessitate rem alienam, media qua una sola vita, vel sua, vel domini rei potest servari, non tenetur rem illam restituere domino ad servandam ejus vitam, si inde necessario perdat suam. Non valet, inquam, quia licet quisque tenetur magis servare vitam propriam, quàm alienam mediis licitis; secus tamen mediis illicitis, ut est private dominium re sua ipso notabiliter invito: sicut enim *verb. grat.* reus juste condemnatus ad mortem non potest ad servandam propriam vitam carnificem occidere, quia carnificis mors est injusta; ita nec injustus debitor habens rem alienam, media qua una sola vita, vel sua, vel domini rei potest servari, non potest rem illam adhibere ad servandam propriam vitam, si exinde necessario perdatur vita domini ipsius rei, quia conservatio vitæ domini rei, media ipsa sua re est justa, & conservatio vitæ talis debitoris, media dicta re non sua est injusta. Concurrente enim pari extrema necessitate domini, seu creditoris, non licet alteri rem ipsius usurpare, aut retinere, quamvis reperiat in extrema necessitate, quia in concursu pariter extrema necessitatis res domini sit communis alteri, quamvis extra talem concursum in extrema necessitate omnia sint communia, ut dictum est supra num. 22.

25 Notanter autem supra num. 21. fuit dictum: Saltem si debitor habeat adhuc in specie rem creditoris, sicque talis res restituenda maneat adhuc sub dominio ipsius creditoris; quia si res illa fuisset jam a debitore consumpta, sicut non amplius maneret sub dominio ipsius creditoris, videtur, quod praefertendus esset in tali casu debitor, quia tunc non possideret alienum, sed proprium, cum solo onere restitutionis, ubi opportunitas aderit. Et forte pro illo casu intelligendi sunt plurimi Auctores contrariae sententiae, ut notat Henno l. c. in fin. & alii.

26 Causa omnino excusans a restitutione, ut etiam omitti possit, generatim sunt quatuor, scilicet: Interitus rei in specie debita sine ulla culpa debitoris bona fidei; Remissio creditoris expressa, vel tacita: compensatio facta, & Auctoritas superioris. Est in re Communis.

27 Prima igitur causa omnino excusans a restitutione est interitus rei in specie debita sine ulla culpa debitoris bona fidei; Quomodocumque enim pereat res in specie, seu potius philosophice loquendo, in individuo debita, sine ulla culpa debitoris bona fidei, debita bona fidei liberatur ab omni onere restitutionis, si ex ipsa in nihilo factus sit ditor. Communis; per textum in cap. Cognoscens 22. de Constitutionibus (Vide leg. 2. §. 4. 5. tit. 2. 4. tit. 3. 8. 12. 13. 14. 15. 16. 18. & 25. tit. 8. 9. 20. & 36. tit. 13. part. 5. Ad rem lit. I. pagin. 37. num. 222. & liter. C. pagin. 66. numer. 19.) ibi: Rem, quae culpa caret, in damnum vocari non conuenit. Cum enim sine ulla culpa debitoris bona fidei contra Iustitiam, res illa perierit, non est caput, unde oriatur aliqua obligatio restitutionis.

28 Dicitur tamen notanter: Si ex ipsa in nihilo factus sit ditor, quia si possessor, seu debitor bona fidei adverteat ex ipsa re aliena se in aliquo factum esse ditiorrem, debet id restituere domino. Communis; per textum in leg. Item veniant 20. §. 6. ff. de hereditatis petitione, ubi expresse dicitur: Eos autem, qui iustas causas habuissent, quare bona ad se pertinere existimassent, usque eo duntaxat, quo locupletiores ex ea re facti essent, condemnandos; scilicet ad restitutionem, ubi Glossa ait: Hanc esse optimam regulam, qua nulla verior in iure, ut bone fidei possessor ad id tantum, quod a se provenerit, teneatur. Et ratio est, quia sicuti possessor, seu debitor bona fidei debet reddere, seu restituere ipsam rem, seu partem ejus, si extaret, ita loco ipsius rei absumptae restituere tenetur id, in quo ex ipsa factus est ditior, quia aequum non est aliquem divitem fieri ex alieno, textu expresso, in cap. Locupletari 49. de Regul. juris in 6. ibi: Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria (Vide liter. A. pagin. 110. num. 83. in fin. lit. D. pag. 106. num. 85. & verb. Emptio, art. fin.)

29 Secunda causa omnino excusans a restitutione est remissio creditoris expressa, vel tacita; dummodo tamen talis remissio habeat requisitas condiciones. Communis. Et ratio est, quia restitutio fieri debet, ne dominus injuriam patiat; libere autem remittens, seu condonans non patitur injuriam, c. Scienti, & consentienti 27. de Reg. Jur. in 6. & leg. Nemo 145. ff. de Reg. Juris. (Vide lit. R. pag. 155. num. 41.) & unusquisque potest libere Juri suo renuntiare, textu expresso in cap. Si de terra 5. de privilegiis, leg. Si quis in conscribenda 29. Cod. de patris, adeoque, &c. (Consonant leg. 5. tit. 20. p. 1. 42. tit. 18. p. 3. & 3. tit. 12. r. tit. 14. p. 5.)

30 Tacita remissio fieri censetur a creditore, si instrumentum debiti faceret, aut ante solutionem voluntarie, & libere ultro ipsum reddat debitori; tunc enim censetur id facere animo totaliter condonandi, nisi ex indicis, & circumstantiis aliud constet; Communis.

31 Item tacita remissio praesumitur in creditore sufficiens ad liberandum debitorem ab onere restitutionis, si ipse debitor putet, quod si per se, vel per alios manifestaret debitum suum creditori, seu ipsum rogaret, talis creditor liberaret condonaret, vel nollet obligare ad restitutionem. Barghaber cent. 7. cas. 85. La Croix lib. 3. part. 2. num. 492. cum Reginald. 84. Lessio, & aliis ibi citatis, Dicastill. d. 10. num. 113. Lugo, disp. 21. sect. 4. num. 53. & 54. cum S. Antonino, Rosella, Sil-

vestro, Angles, Tabiena, Arragonio, Sayro, & aliis ibi citatis, qui addunt, non teneri restituere, qui accipit rem non petitam, quam si petisset, dominus dedisset. Et ratio est, quia tunc adest voluntas praesumpta domini sufficiens, ut retentio non fiat, illo, quoad substantiam, in iure; si tamen debitor dubitet, an creditor, seu dominus, si sciret, esset remissurus? teneatur petere, ut remittat, vel restituere, quia dominus est in possessione.

Nota. Quisquis posset a restitutione excusari, nam facile est sibi persuadere convenientiam creditoris.

Sed jam ad id responsum est supra in verb. Praesumptio, & hic ego concludo: Si tamen dubitet, an creditor, seu dominus si sciret, esset remissurus, teneatur petere ut remitteret, quia dominus est in possessione.

Fuit dictum supra num. 28. Dummodo tamen talis remissio habeat requisitas condiciones, quia ut remissio omnino excuset a restitutione, requiruntur tres condiciones; Communis. Et quidem prima conditio requisita est, ut remissio debiti fiat libere, & sine vi, vel fraude, seu dolo; remissio enim est species donationis, quae essentialiter debet esse liberalis, & gratuita, & libera, & nullo modo coacta voluntatis. Unde invalida est debiti remissio quacumque vi aut fraude, seu dolo extorta; ut si debitor praepotens extorqueat a creditore partialem debiti remissionem ei dicendo, seu mandando, quod si non remittat partem, perdet totum; si debitor dolose simulat se impotentem restituere, aut fingat se pauperiorem, quam sit, seu alia fraudulenta, vel violenta via partialem debiti remissionem obtineat, aliis non obtenturus, ex quo creditor, secluso illo meta perendi totum, non fuisset partem illam remissurus, tunc talis debitor non liberatur ab onere restitutionis; quia dicta remissio non est creditoris voluntaria, & Juridice libera; Tum quia partem sine onere debitor cogitur acceptare cum onere scilicet non exigendi totum; quod utique creditor voluisset exigere, si similis vi, fraude, vel dolo ad ipsam involuntariam partialem debiti remissionem non fuisset inductus. Hinc securi non sunt in conscientia Mercatores illi, seu alii debitores, qui praetextu impotentiae solvendi totum concordant exigunt a creditoribus, qui metu amittendi totum, partem remittunt, & solam partem recipiunt, cum revera debitores totum, seu plura possent solvere; & id totum, quod superest, sibi retineant ex alienis; adeoque in conscientia remanent semper obligati ad restitutionem, cum remissio illa fraude, vel dolo extorta nulla sit. Lugo cit. disp. 21. sect. 4. num. 46. Sporer loc. cit. cap. 4. sect. 4. num. 84. Dicastill. d. 10. num. 120. La Croix loc. cit. num. 457. & alii passim. (Vide leg. 34. tit. 14. p. 5. quae fere consonat.)

Conditio secunda requisita est, ut remissio non fiat in casibus a Jure exceptis: Varii enim casus sciuntur in Jure, in quibus non potest fieri debiti remissio, & si fiat, est nulla. Ac primo nulla est remissio facta Judici ecclesiastico, qui ultra id quod sibi Jure permissum est, aliquid recipit, cap. Statutum 11. §. 7. de Rescriptis in 6. Secundo nulla est remissio facta Episcopis ratione illius, quod ultra sumptus ad sustentationem non necessariis receperunt in visitatione Ecclesiarum, cap. Exigit 2. de Censibus in 6. Tertio nulla est remissio pecuniae ratione officii extorta ab inquisitoribus haereticae pravitatis. Clement. Nolentes 2. de haereticis. Quarto nulla est remissio distributionum facta Canonice absentibus a residentia. Concil. Trident. sess. 24. de reformat. cap. 12. Supradictae enim factae remissiones, & aliae consimiles nihil suffragantur, unde, ipsis non obstantibus, tenentur supradicti adhuc ad integrum respective restitutionem.

Conditio tertia requisita est, ut remissio, seu condonatio fiat a potente condonare, defectu cuius nulla est condonatio debiti facta a filiofamilias, impubere, pupillo, religioso, & hujusmodi Item nulla est remissio, seu condonatio facta debitoribus de creditis domini, ab uxore de creditis mariti, a fratre de creditis sororis,

ris, ab exactore vestigialium de creditis Principis, & hujusmodi; Omnis enim talis & similis remissio, seu condonatio debiti non liberat debitorem ab onere adhuc integre restituendi, nisi sit facta ex consensu remittere potentis. (Vide verb. Donatio.)

Tertia causa omnino excusans a restitutione est compensatio facta; dummodo tamen interveniant condiciones requisite ad legitimam compensationem. Communis. Compensatio enim solutionis instat censetur in Jure; leg. Si debitor 4. ff. Qui potiores in pignore, vel hypotheca habeantur, ibi: Dicendum est, perinde haberi debere, ac si priori creditori pecunia soluta esset: Nec enim interesse solverit, an pensaverit, id est, an compensaverit; leg. Ideo compensatio 3. ff. de compensacionibus, ibi: Interest nostra potius non solvere, quam solutum repetere. Quamvis autem sint condiciones requisite ad legitimam, & justam compensationem? Vide verb. Compensatio.

Quarta causa omnino excusans a restitutione generaliter est auctoritas Superioris, seu dispositio Superioris potestatis, per quam debitor ab obligatione restituendi, seu solvendi omnino liberatur. Communis.

Et quidem primo debitor liberatur omnino ab onere restituendi, seu solvendi per legem praescriptionis, seu usucapionis, quia publica auctoritate dominium rei alienae ab antiquo domino ad possessorem bona fidei, & legitimi temporis ita plene transfertur, ut deinceps debitor etiam cognitio domino ab obligatione restituendi remaneat penitus liber etiam in foro conscientiae; Communis per Jura tum Civilia, tum Canonica adducta sub verb. Praescriptio, ad num. 7. ad 9. Vide ibi per totum, ubi abunde de omnibus ad legitimam praescriptionem pertinentibus.

Nota. In utroque hoc casu consultus existimo, benignam hanc opinionem abjicere.

At non solum non est abiicienda haec opinio ut benigna, sed omnino est tenenda ut recta, vera, & justissima. Legitima enim praescriptio, & valida, & licita ne dum in foro externo, sed etiam in foro interno, seu conscientiae, ut tradunt communiter Jurista, Canonista, & Moralista per Jura tum civilia, tum canonica a me adducta sub verb. Praescriptio ad num. 6. ad 9. Vide ibi per totum ubi abunde de omnibus ad legitimam praescriptionem pertinentibus, & ubi leges civiles leguntur ad id canonizatae per leges canonicas.

Secundo debitor liberatur omnino ab onere restituendi, seu solvendi per justam sententiam Judicis, & ad id afferuntur varia exempla, ut si quis per Judicis sententiam cogatur resarcire alteri damnum sine culpa gravi theologica ei causatum, ad quod resarciendum ante sententiam in conscientia non tenebatur, tunc qui id accipit, restituere non tenetur, quia legis, & sententiae juridicae auctoritate id accipit; Et legis, & Judicis auctoritate iustis de causis ob bonum commune transferri potest dominium unius in alterum. Item si Judex secundum allegata, & probata juste, sed reipsa injuste aliquem privet suo beneficio, & conferat alteri, qui bona fide illud accipit, hic alter, quamvis postea cognoscatur illum injuste privatum fuisse, non tenetur dimittere, vel aliquid restituere, quia illud accipit a potente legitime conferre, & propter bonum commune auferunt vere ab eo, qui prius habebat, & adjudicatur alteri. Item si Judex in poenam injuriae alteri illatae, & ex praesumptione vera imponat alicui multam pecuniarum ipsi alteri injuriato solvendam, potest ille injuriatus cui debetur multa, non solvere aliud debitum ei, a quo multam illam habere debet, & a fortiori non tenetur multam sic acceptam restituere, quia per justam sententiam judicis res sua facta est. Sic Lugo disp. 21. num. 553. Lessius lib. 2. cap. 7. dub. 8. cap. 17. dub. 7. cap. 29. dub. 10. Sporer loc. cit. num. 91. La Croix loc. cit. num. 451. & alii passim.

Huc spectat compositio Summi Pontificis, qua Papa debitor indulget, ut major quantitas debiti incerti, id est, cuius dominus ignoratur, mutetur in minorem. Ferrar. Biblioth. Tom. VIII.

rem statim ad pia causas restituendam, reliquum autem sibi retineat. Et talis compositio facta cum Pontifice super debitis incertis liberat debitorem ab onere restitutionis; Nota. Donec dominus ignoretur.

Sed debebat adnotare Theologus, quod ego loquor de re incerta, seu de debito incerto, cuius dominus ignoratur. Papa autem non solet de facto concedere talem compositionem super bonis certis, ubi scilicet certus est eorum dominus, ut subjungo. Ego ibi num. 42. quamvis loquendo de possibili, talis legitima causa intervenire posset, ut eam compositionem concederet, & consequenter debitorem liberaret ab onere restitutionis. Vide ibi multa ad rem. Lessius lib. 2. de Justit. & Jur. cap. 16. num. 83. Medina Cod. de reb. rest. quest. 3. caus. 11. vers. Verum si alia motiva: Lugo disp. 6. num. 150. & disp. 21. a num. 91. Rosignolus de restit. III. prenot. 9. num. 1. La Croix loc. cit. n. 410. Sporer loc. cit. n. 93. Molina disp. 748. & alii. Et ratio est, quia debita incerta ex communiori, & tutiori Theologorum consensu sunt in pauperes, seu ad alium pium usum applicanda; cap. Cum tu 5. de usuris, & patet ex dictis sub verb. Dominium d. num. 18. ad 20. adeoque cum talia debita incerta debeantur pauperibus solum de jure positivo, ut plurimum probat Lessius lib. 2. de Justit. & Jur. cap. 14. dub. 6. numer. 36. & seq. & alii communis, & Pontifex sit supra quodcumque jus positivum, cap. Proposuit 4. de concessione praebend. ibi: Qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare, poterit Pontifex facta compositione dispensare, ne illa pauperibus distribuatur, sed possint a debitoribus retineri absque onere restitutionis: Tum quia Papa habet jus indirecte in res temporales, quando id necesse est ad bonum spirituale, ut fuse demonstrat Diana tom. 1. post part. 10. resolut. 5. & seq. Moysa tom. 1. tract. 6. d. 3. q. 3. & alii passim: & patet de bonis, quae relicta sunt Religionibus secundum se incapaces dominii, quae quoad dominium transeunt ad Romanum Pontificem tamquam caput universalis ecclesiae, ut expresse de bonis relictis Fratribus Minoribus definitum est in cap. Exiit 3. §. Ad haec, de verb. significat. in 6. adeoque &c.

Quamvis Papa non concedat de facto talem compositionem super bonis certis, ubi scilicet certus est eorum dominus, loquendo tamen de possibili talis legitima causa intervenire posset, ut eam compositionem concederet, & consequenter debitorem liberaret ab onere restitutionis. Lessius lib. 2. de Justit. & Jur. cap. 16. dubit. 11. num. 83. Medina Cod. de reb. restit. quest. 3. caus. 11. Silvester verb. Restitutio 7. quest. 2. dist. 5. Lug. cit. disp. 21. num. 96. Rosignolus loc. citat. num. 3. Dicastill. distinct. 10. num. 175. & plurimi alii. Et ratio est, quia sicut leges civiles propter bonum publicum media praescriptione legitima auferunt dominium a vero domino, & concedunt illud possessori bona fidei post legitimum possessionis tempus, ut patet ex dictis sub verb. Possessor bona fidei, & verb. Praescriptio, ita posset lex ecclesiastica propter bonum spirituale commune idem facere contra certum dominum, vel creditorem, & hoc praesertim contra creditores haereticos, quorum debitoribus potest Papa dictam compositionem concedere, quia cum haereticorum bona per leges applicari debeant Fisco, cap. Vergentes 10. de haereticis, cap. Cum secundum 19. de haereticis in 6. & Authen. Gazaros, Cod. de haereticis, licet nunc ob impotentiam non applicentur, poterit Pontifex optimo jure eorum debitoribus condonare debita, imposita eis aliqua compositione ad causam piam. Ita etiam aliqui creditores graviter, & enormiter delinquent, poterit Pontifex in poenam delicti eosdem privare juribus suis, & postea cum debitoribus super illis bonis certis componere. (Vid. verb. Haereticus.)

Dictam compositionem concedere non possunt Episcopi neque pro debitis incertis. Sic Lugo cit. disp. 21. num. 107. Molina disp. 748. num. 7. Turrian. disp. 41. dub. 2. num. 12. Illung. tom. 4. dist. 3. num. 297. La Croix loc. cit. num. 413. Rodriguez, Silvester, Cordu-

ba, & alii plures, sic docente etiam communi praxi; Episcopi enim nec habent Jus altum in res temporales, nec potestatem indirectam disponendi de rebus temporalibus subditorum, quae soli Romano Pontifici competit, arg. Clementin. Contingit. 2. de religiosis domibus: ibi: Cum ea, quae ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (salva Sedis Apostolicae auctoritate) converti. Henriquez tamen, Villalob. Trullench. & Diana apud Lugo loc. cit. num. 106. male tenent contrarium.

44 Debitor solvens creditori sui creditoris ex rationabili causa, si debita sint ejusdem rationis, nec sit alius creditor preferendus, liberatur in conscientia ab alia restitutione facienda. Molina tom. 3. d. 741. Henno i. 2. tract. 1. disp. 3. quest. 3. concl. 2. Angelus verb. Solutio, num. 13. Sylvester verb. Solutio, num. 4. Sporer loc. cit. num. 79. & alii communiter. Et ratio est, quia tali modo adhuc servatur aequalitas, ut nimirum qui libet habeat, quantum habere debet; Nec debitori creditor debet, vel potest esse rationabiliter invitus, quod ex rationabili causa ipsum praeveniendo solvat ejus creditor; quia ratione talis rationabilis causa censetur creditor ratam habere dictam solutionem, adeoque debitorem liberari ab alia restitutione facienda, ac si eidem creditori solvisset, per text. in leg. Invito 12. Cod. de solutionibus, ibi: Quod si hoc, vel mandante, vel ratum habente eo, fecerit, non minus liberationem consequitur, quam si eidem creditori solvisset (Consonat lex 5. tit. 14. part. 5. Lit. B. pag. 369. num. 37. atque leg. 20. tit. 5. p. 3. 48. §. 4. tit. 5. §. 11. 14. p. 5. & 17. tit. 10. p. 7. Altero solvente, etsi sine mandato, liberatur debitor leg. 32. tit. 12. pag. 5.)

45 Immo debitor solvens creditori sui creditoris ex rationabili causa, non solum liberatur ab alia restitutione faciendi in conscientia, seu foro interno, sed etiam in foro externo, quando debita sunt aequae privilegiata, procedunt ex eadem causa, suntuque ejusdem rationis, ut si conduxit domum à Joanne, qui eam conduxerat à Francisco, satisfacio in utroque foro dando solutionem Francisco; & leg. Utrum praesente 27. ff. de pecunia constituta, & concordat leg. Si liber homo 36. ff. de negotiis gestis, Sic tenent Rosig. de restitut. 3. praenot. q. n. 2. Lessius lib. 2. de Jus. & Jure, cap. 16. dub. 5. num. 60. Angelus verb. Restitutio, num. 13. Medina Cod. de reb. restitut. quest. 3. caus. 5. Sylvester verb. Solutio, n. 4. Lugo disp. 21. num. 146. Molina, Henno, & Sporer locis citatis, & alii passim. Quinimmo Rosignolus, Sylvester, Angelus, Medina, Lessius locis citatis, & alii docent, talem debitorem liberari ab alia restitutione in foro interno, & externo, etiamsi debita procedant ex diversa causa; quia, dicunt, licet debita proveniant ex diversa causa, dummodo sint aequalia in quantitate, merito ad invicem compensantur: Bartolus tamen in leg. Solutum, ff. de pignoratitia actione contrarium melius sentit pro foro externo, quando debita sunt ex diversa causa (Leg. 21. tit. 14. p. 5. & verb. Compensatio.)

47 Debitor autem solvens creditori creditoris absque ulla rationabili causa, & invito rationabiliter suo immediato creditore, non liberatur in foro externo ab alia restitutione faciendi, textu expresso in leg. Invito 12. Cod. de solutionibus, ibi: Invito, vel ignorante creditore, qui solvit alii, se non liberat obligatione. Et id jure merito statutum est pro foro externo contentioso ad evitandas lites, quae inde nascerentur.

48 Pro foro tamen interno conscientiae, quamvis talis restitutio facta creditori creditoris absque rationabili causa, & invito rationabiliter immediato creditore, sit illicita, ut de se patet; nihilominus est valida, dummodo inde nullum damnum, aut praedictum patitur creditor immediatus. In tali enim casu debitor nullum damnum infert creditori immediato, cum per hoc liberetur à restitutione, quam debuisset ipsemet facere tali suo creditori: Unde cum debitor restituendo creditori creditoris aequivalenter censatur restituere ipsi immediato creditori, liberatur in foro conscientiae ab alia restitutione faciendi: Henno loc. cit. & alii passim.

Per cessionem bonorum suorum, & Jurium liberatur quidem debitor in foro externo à pena carceris; at non liberatur in foro interno conscientiae ab onere restitutionis, nisi sit vere impotens; Communis, per text. in leg. Qui bonis cedere possint, ibi: Qui bonis cesserint, nisi solidum creditor receperit, non sunt liberati. In eo enim tantummodo hoc beneficium eis prodest, ne iudicari detrahantur in carcerem.

Hinc si bonis cedens deveniat postea ad pinguioiorem fortunam, tenebitur ad integram restitutionem, tam in foro interno, quam in foro externo. Colligitur expresse ex cap. Odoardus 3. de solutionibus, leg. Cum & filii familias 7. Cod. Qui bonis cedere possunt, leg. Is, qui 4. ff. de cessione bonorum & §. Cum eo 40. Instit. de actionibus, ibi: Cum eo quoque, qui creditoribus suis bonis cessit, si postea aliquid adquisierit, quod idoneum emolumentum habeat, ex integro in id quod facere potest, creditores experiantur: inhumanum enim erat spoliatarum fortunis suis in solidum damari. Et ratio est, quia tota ratio privilegii cessionis bonorum ducta est ab impotentia debitoris; per illam enim cessionem non intelligitur debitum extinctum, sed sopitum; adeoque cum deveniendo ad pinguioiorem fortunam cesset impotentia debitoris, tenebitur ipse debitor tunc ad integram restitutionem, cum cessante causa cesset effectus, cap. Cum cessante 60. de appellacione, & cessante ratione, & causa legis, cesset ipsa lex, leg. Adigere 6. §. 2. de Jurepatronat. Unde in cit. cap. Odoardus 3. de solutionibus obligatur sic bonis cedens ad praestandum actionem de integre solvendo, si devenerit ad pinguioiorem fortunam.

Immo sic bonis cedens tenetur in conscientia, & in foro externo compelli potest, quantum conditio, seu status permittit, ad faciendum totum id, quod facere potest, & ad laborandum, & acquirendum, unde solvat integre. Sic teste Sporer loc. cit. num. 69. habet Communis, & solida sententia Sanchez, Molina. alisque citatis Layman cit. cap. 12. num. 5. Lugo tom. 2. de Justitia disp. 21. sect. 3. Tamburin. lib. 8. tract. 4. c. 1. §. 9. num. 10. & idem tenet Henno loc. cit. tractat. 1. disp. 5. quest. 7. conclus. 1. & alii per text. in cit. leg. Is, qui 4. ff. de cessione hominum, ibi: Is, qui bonis cessit, si quid postea adquisierit, in quantum facere potest, convenitur; & cit. §. Cum eo 40. Instit. de actionibus per verba adducta num. antecedenti, ibi: Ex integro in id, quod facere potest, creditores experiantur. Si enim debitor laborando juxta conditionem, & statum suum acquirere possit unde integre solvat, ad id tenetur, cum obligatus ad finem obligetur etiam adhibere media saltem ordinaria ad illum finem necessaria; nisi enim hoc dicatur, ans daretur fraudulenti cessionibus bonorum in maximum damnum creditorum, & praedictum totius republicae.

Cedens bonis si venerit in pinguioiorem fortunam, tenetur, quantum potest, ad integram restitutionem, etiamsi bonis cesserit in loco publico cum quibusdam actibus ignominiosis à lege statutis: Ignominia enim illa non extinguit obligationem naturalem solvendi debita, cum per ipsam nullum creditoris damnum resarciatur, sed est poena propter culpam praesumptam contrahentis debita supra suas vires, & ad deterrandos alios, ne prodigalitate, & negligentia ad similem statum deveniant. Sic Covarrubias 2. variar. resolut. cap. 1. num. 6. Lessius de Justitia & Jure, cap. 16. dub. 3. num. 49. Molina disput. 572. §. Quamvis qui bonis: Turrian. disput. 17. dub. 2. num. 2. Rosignol. loc. citat. praenot. 3. num. 7. Bonacina disput. 1. de restitut. q. ultim. punct. 1. num. 38. Lug. citat. disp. 22. sect. 2. numer. 40. & ipso teste alii communiter.

Qui omnibus bonis cessit, si post cessionem aliquid adquisierit, non potest in foro externo de eo conveniri, nisi prius extrahat pro sua, exteriorumque sustentatione necessariis secundum decentiam sui status, & conditionis. Et enim hoc privilegium ei concessum à Jure, quod si post cessionem omnium bonorum aliqua alia adquisierit, non possit spoliari omnibus iis bonis, sed solum conveniri, in quantum commode fac-

ere possit, & relicta ei congrua sui, & suorum sustentatione secundum suum statum, & conditionem. Sic leg. Is, qui 4. §. Sabinus, & leg. Qui bonis 6. ff. de cessione bonorum; leg. Ex contractu 3. Cod. de bonis auctoritate iudicis possidendis, & §. Cum eo 4. Instit. de actionibus. Et hoc locum habet etiam in foro conscientiae, cum sit privilegium à Jure concessum, & contractus juxta leges sint celebrati, adeoque justus etiam in foro conscientiae; Communis.

Nota. Privilegium est pro foro externo; pro interno autem, quodcumque quis potest, restituere debet domino rem alienam.

Sed si attendatur, & concurrant omnia tradita à me à cit. num. 53. ad 57. inclusive, facile percipietur, ibi adducta locum habere etiam in foro conscientiae ratione impotentiae ortae ex infortuniis sine sua culpa incuris; jura enim nedum civilia, sed & canonica benigne consulunt infortuniis debitorum, quos calamitates, naufragium, bellum, aliusve malus eventus sine sua culpa depressit; cap. Cum percussio 2. caus. 7. quest. 1. cap. Ex parte 5. de Cleric. agros. cum similibus. Qua tamen impotentia cessante, tenebitur ad restitutionem, cum revera pro foro interno quodcumque qui potest, restituere debeat domino rem alienam.

Ex bonis autem acquisitis ante cessionem de rigore Juris non relinquuntur debitori congrua sustentatio, sed ad evitandas fraudulentas cessiones cogitur debitor in foro externo omnibus omnino bonis cedere, nihilo penitus sibi retento, ut patet ex citatis Legibus; Nec attendendus est Lessius, qui cit. cap. 16. dub. 3. num. 49. dicit etiam ex Jure colligi, quod debitor possit etiam ex bonis ante cessionem habitis sibi congruam sustentationem reservare, cum in leg. Qui bonis 6. ff. de cessione bonorum; dicitur expresse: Nec etiam fraudandus est alimentis quotidianis. Non, inquam, attendendus est, quia dicta verba immerito ad hoc propositum adducta sunt, cum in dicta lege, ut clarissime legenti patet, expresse sermo sit de eo, qui alia bona acquisivi post jam factam cessionem, ut recte ex ipsis clarissimis textibus observat Lugo cit. disp. 21. sect. 2. num. 37. & alii passim. Unde merito tenent Doctores communiter, quod debitor ex contractu, qui bonis cessit, possit quidem de rigore Juris sibi retinere necessaria ad sui, suorumque sustentationem secundum suum statum, & conditionem ex bonis acquisitis post cessionem factam, non autem ex bonis habitis ante cessionem; sic clarissime citata Jura loquuntur.

Quamvis autem non possit debitor ex bonis habitis ante cessionem sibi retinere congruam sustentationem in foro externo, & de rigore Juris, potest tamen id facere in foro conscientiae; Omnes enim Doctores docent, quod debitor ex infortunio cedens bonis possit de bonis etiam antea habitis licite occultare, & retinere quantum satis est, ut parce vivat secundum suum statum juste acquisitum; Quisquis enim Jus habet ad propria alimenta, quibus caret, est vere in gravi necessitate constitutus, adeoque in foro conscientiae potest retinere ex bonis etiam ante cessionem habitis necessaria ad tenendum suam sustentationem juxta suum statum juste acquisitum, cum ad ipsum statum juste acquisitum conservandum possit debitor differre restitutionem, donec commode ipsum facere possit, absque eo quod notabiliter cadat ab ipso, ut ex communi fuit dictum supra num. 11. & 12.

Nota. Potest ne quis furari, ut provideat suae honeste posterum sustentationi? Haec non nisi in gravissima necessitate pro quotidiana sustentatione permittitur, tunc enim omnia sunt communia.

Theologus noster hic bona venia, canit extra chorum: Ego enim loquor non de bonis furatis, sed de juste, & licite acquisitis, & quidem de ipsis solummodo tantum occultare, & retinere quantum sat est, ut parce vivat secundum suum statum juste acquisitum. Et sic expresse declaro infra num. 57. dicens: quae huc usque dicta sunt de debitorum respectu beneficiorum cessionis bonorum, intelligenda solum sunt de debitorum contractu, quem licet honeste viventem, aut licite ne-

gotiantem, sine sua culpa, adversa fortuna depressit; non autem de debitorum ex delicto, &c. Vide ibi.

Hinc debitor defuncto, ejusque bonis non sufficientibus ad solvenda omnia debita, ejus uxor, & filii possunt in foro conscientiae ob adductam rationem tantum occulte detrahere, & retinere, quantum eis sufficit ad vitam suam, & statum honeste, & parce conservandum. Et si in Judicio requirantur, possunt cum aequivocone congrua jurare se nihil occultasse, sed subtraxisse, intelligendo: Nihil ipsi non debitum Jure naturali, & sic ob eandem rationem non incurrunt excommunicationem forte latam contra dicta bona occultantes, ut pluribus citatis docet Diana part. 5. tract. 14. resolut. 57. Tamburin. lib. 8. tract. 4. cap. 1. §. 9. n. 9. Sporer loc. cit. num. 98. & alii.

Nota. Duo hic sunt improbanda, & detractio bonorum in fraudem creditorum, & aequivocone, seu restrictio mentalis in Judicio; utraque enim assertio est falsa.

Sed quantum ad occultam detractionem bonorum pro tanto solummodo, quantum eis sufficit ad vitam suam & statum honeste, & parce conservandum, intelligendo de debitis ex licito contractu, & non ex delicto contractis, mea assertio non est falsa, sed vera per solida fundamenta, & jura tum civilia, tum canonica mox supra adducta. Quantum autem ad aequivoconem, seu restrictionem mentalem, pro tali casu non esse falsam meam assertionem, sed veram, & licitam; satis & abunde id tradidi ego in verb. Accusatus à num. 10. ad 43. & in verb. Juramentum à num. 15. ad 26. ubi num. 23. assero, quod id etiam clare constat ex celebri responsione ab omnibus, ut licita admissa, prout data à S. Athanasio eludente satellites Juliani eum ad necem quaerentes, & à S. P. N. Francisco, qui cum à Ministris justitiae requisitus: An illud transivisset quidam homicida? Positis intra manicas manibus respondit: Istac non transivisset, intelligens, non transivisset per suas manicas; & sic plenam, & veram responsionem ex verbis, & illa actione externa componens. Videtur ad rem Scotus in 4. distict. 15. quest. 4. artic. 3. & Mastrius theologiae moralis disp. 6. quest. 2. artic. 3. & disp. 11. quest. 9. artic. 1. cum pluribus aliis ibi citatis.

Quae hucusque dicta sunt de debitorum respectu beneficiorum cessionis bonorum, intelligenda solum sunt de debitorum ex contractu, quem licet honeste viventem, aut licite negotiantem sine sua culpa adversa fortuna depressit: Non autem de debitorum ex delicto, qui ex aliorum bonis plura congestis, & prodigitis sciens non fore solvendo: Immo nec etiam de debitorum ex contractu, qui sua culpa verb. grat. ex crapula, prodigalitate, studiosa dissipatione, vita luxuriosa, & hujusmodi factus est impotens ad solvendum. Sic contra Lopez, Gutierrez, & paucos alios docet communior Doctorum cum Molina tom. 2. disput. 21. sect. 3. numer. 43. Layman cit. cap. 12. num. 4. Sporer loc. cit. num. 98. La Croix lib. 3. part. 2. num. 439. Henno loc. cit. tract. 1. disp. 5. quest. 5. Medina Cod. de reb. restitutio. q. 3. vers. Tertia causa, Rosignol. de restit. 3. praenot. 2. num. 3. & alii passim, per textum in leg. Si fraudator 25. in fine; ff. Quae in fraudem Creditorum, cum similibus: Jura enim benigne consulunt infortuniis debitorum; quos calamitates, naufragium, aliusque malus eventus sine sua culpa depressit; non autem malitiae injustorum debitorum, qui ex aliorum bonis plura congesterunt, & ex crapula, prodigalitate, studiosa dissipatione, vita luxuriosa, & hujusmodi facti sunt impotentes ad solvendum, cum non sit credibile, quod Jura velint beneficium cessionis concedere illis, qui potius poena severitatem merentur. Hinc caveant tales injusti debitores, seu falliti, & banche ruptores, qui ut se estimant ab onere creditorum, se decetios simulant cum marsupio, ut vulgo dicitur, Diestro le spalle: Isti enim merito possunt in carcerem conjici, donec integre persolvant, & si non sic detrahantur in carcerem temporalem, detrudentur sine dubio in carcerem aeternalem.

58 Debitor illius, qui bonis cessit, tenetur suum debitum manifestare, & solvere officialibus Justitiæ, ut id restitatur creditoribus secundum æquitatem; non enim tutus est in conscientia, nisi debitum solvat. Silvius in *resolut. part. 2. verb. Restitutio caus. 3. & alii communiter.*

59 Quamvis debitor principalis bonis cesserit, adhuc ejus fidejussor tenetur ad integram solutionem pro ipso. Cessio enim prodest solum debitori, & non fidejussori; qui ideo datur, ut solvat ipse, cum non est solvendo debitor principalis. *Communis*, textu expresso in §. Exceptiones 4. *Institut. de replicationibus*, cum similibus. (Vid. *add. hisp. verb. Solutio num. 3.*)

(Satisfieri videtur doctrinæ ex *num. 49. relata*, si in conspectu habeatur *add. hisp. & noviss. lit. l. pag. 32. & 33. ac verb. Solutio num. 3.*)

Inseretur nihilominus quod ad plenam hujus materiæ cognitionem requiritur, hic sufficiat, animadvertere ubi in nostris juris corporibus de hisce tractatur in corpore *Part. est titulus 15. p. 5.* Dum non suppetunt bona ad creditoribus satisfaciendum, bonorum posse fieri cessionem ab eo, qui unde solvat, non habet, ante judicem, per *procuratorem*, & *leg. 1. conceditur*: omnia iudici subjunguntur præter linea vestimenta, (Vid. *pag. 240. lit. H. col. 1. & 2. in novis. addit.*) nisi inter ascendentes, & (*leg. fin. tit. 11. p. 4.*) descendentes, patronum, & libertum, (*8. tit. 22. p. 4.*) socios (*leg. 16. tit. 10. p. 5.* nisi actor parti egestate prematur) bonorum, sive donantem (*leg. 4. tit. 4. p. 5.*) ac donatarium, nam non tenetur extra in quantum facere possunt, *hoc est*, debet eis relinqui ad vitæ subsistentiam necessariam; non totum quod habet, extorquendum est, sed ipsarum personarum ratio habenda, ne egeant: ideo ita observatur, quia extra omnem pietatem reflectitur, inter consanguineos aliter procedi, cum creditor non possit quin, nisi ejus animus lupinis visceribus possideatur, sic cogitet, & sentiat, mentis enim acerbitas vicissitudine officiorum utrique respondet; sua etiam ratione inter patronum & libertum assertum nititur: inter eos datur aliqua submissionis, venerationisque species, cum unus manumittit, ac alter libertatem inestimabilem consequitur: in sociis fundamentum patet, nam tamquam confraternitas societas habetur: (*1. tit. 10. p. 5.*) in donante vero, quoniam ex liberalitate convenitur, alienumque esset à ratione, si permitteretur, donatarium, nil ad res donatas acquirendum impendentem, atque ex mera liberalitate accipientem, velle in summa paupertate donantem constitui; *In secunda* creditorum signatur præferentia, & quomodo (Vide *verb. Hypotheca*) solutio effectum consequetur; *In tertia* vis cessionis proponitur: nequit postmodum debitor conveniri, si ad pinguiorem fortunam non devenit, & tunc cum illius, quod ad victum sufficiat, deductione; fidejussor semper est obligatus, & creditores ex eo quod defuerit, recuperabunt; *In quarta* agitur de poena, qua venit puniendus debitor condemnatus, si nec solvere, nec cedere queat: quid etiam observandum, dum in totum, aut in partem bona dissipat; *In quinta* de dilatione à creditoribus indulgenda, ut commodius debitor solvat, tractatur; (Vide *verb. Solutio*) *In sexta* agitur de partis remissione: est judicandum juxta in leg. præcedenti decum: subsistit quod fuerit factum, licet ex creditoribus aliquis, præsens non sit: videtur ad consequendam dilationem omnes creditores in unum conveniri oportere, non sic in remissione, essi sit consentaneum omnes citari, ut stetut à majori parte determinatum: verum si absentis quantitas esset totius debiti major pars, vel aliqua bonorum pars pro securitate obligata, remissio à ceteris facta nullum eidem creditori præjudicium irrogat: in prædicta bona obligata actio potest intentari; *In septima* proponitur an revocanda quæ in fraudem creditorum abalienantur, si cetera bona ad satisfaciendum non sufficient: intra annum à die scientiæ alienationis factæ actio in iudicium deducenda: præsumitur in fraudem esse alienata: si alienatio titulo oneroso evenierit, tria perneceesse sunt consideranda,

*videlicet dolus seu malitia in alienante, & recipiente, & exitialis eventus; excipitur minor, quia, tametsi fraudis sit conscius, tradere non tenetur, si quod exsolverit, haud restituatur: deficiente fraudis probatione, seu intra prædictum tempus libello non præsentato, de cetero nequit alienatum revocari; *In octava* deciditur, quod, si oblata emendi occasione, per creditores, aut eorum procuratorem volenti emere fuerit edoctum, ne emptionem perficiat, siquidem bona debitis non respondeant, nihil aliud ad rescissionem contractus desideratur quam ut intra annum quilibet ad iudicium seu tribunal se sistat; *In nona* decernitur, quemque debitorem, ante executionem, cessionemve, bonis non sufficientibus, alicui creditori solventem, ad nil obstringi, neque creditorem ad tradidit restitutionem devinciri: verum si solutio effectum post bonorum traditionem, seu cessionem sortitur, sponte, seu judiciali coactione, à reliquis creditoribus postulari res poterit, ceterisque bonis cessis adjungi, ut inter omnes, interesse putantes, juxta eorum prælationem fiat partitio; *In decima* fit mentio de creditore, qui debitorem fugientem insequitur: ubi deficit judex, potest ille per se (*Lit. E pag. 222. in addit. novis. ant. num. 16.*) ac propria auctoritate reum capere, & omnia adducta retinere: sed, si iudex eo in loco adfuerit, certior efficiatur, & suum munus adimpleat, fugientem, resque asportatas detinendo: conferre cum aliis creditoribus, quantum ad res detentas spectat, non obligatur, quod superest post sui crediti satisfactionem, manet, ut reliquæ obligationes dissolvantur; *In undecima* asseritur, rem in creditorum fraudem alienatam cum fructibus tempore alienationis, & deinceps à die litis contestata usque ad sententiam diffinitivam perceptis esse reddendam, sed impensæ ratione fructuum colligendorum, & pro melioramentis in re inversæ in considerationem veniunt, nam excipiuntur, & debent deduci: emptori semper reservatur fructus à die alienationis usque ad tempus, in quo est coepa disceptatio; (Vid. *leg. 39. & 43. tit. 28. p. 3.*) *In duodecima* casus depingitur in quo liberato, à creditore malitiose facta, *hoc est*, in fraudem aliorum quibus ipsemet debitor debet, non sustinetur, si liberatus fraudis sit particeps: idem evenit, volente liberationem fidejussori concedere, & iste scientiæ circumventionis convinctur, non vero creditor: tunc bonis non deficientibus ex integro solvit, neque ad principalem dabitur recursus, si totum debitorum fidejussoris bona opere nequeant: liberato debitore malitiæ non experte, sed fidejussore inscio ex istius parte obligatio tollitur, tamen ille manet obligatus, tamquam si liberatio non evenierit. Vide etiam *leg. 5. & 6. tit. 12. lib. 5. Ord. Reg. 4. 5. 6. & 7. tit. 16. lib. 5. Recop. Cast.**

An ingressus, ac professio Religionis liberet debitorem ab obligatione restituendi, seu solvendi debita antea contracta, sive ex contractu, sive ex delicto? Tres sunt Doctorum sententiæ. Prima absolute affirmat, quia absolute tenet, quod debitis obstructis, quibus nunc solvendo non est, facta cessione bonorum, quæ habet, possit statim licite religionem ingredi, licet manendo in seculo lucrari, & creditoribus satisfacere possit. Sic S. Thom. 2. 2. q. 189. art. 6. ad 3. S. Antonin. 2. part. tit. 11. cap. 2. §. 1. & part. 3. tit. 16. cap. 2. §. 3. Paludan in 4. distinct. 36. quest. 3. art. 2. conclus. 7. Cajetanus in 2. 2. quest. 180. art. 6. Silvester *verb. Religio 2. quest. 4.* Angelus *ibid. num. 6.* Rosella, Tabiena, Armilla, Vi-guerius, Aragonius, Pedrazza, & alii apud Sanchez in *Decalog. lib. 4. cap. 19. num. 7.*

Secunda sententia, quam uti probabilior sequor, 61 absolute negat, quia absolute tenet, quod debitis obstructis non possit licite religionem ingredi si possit manens in seculo, licet per longum tempus, creditoribus satisfaceret. Sic Joannes Gersonum, 2. parte tractatus: *An licet gravato debitis intrare Religionem; Alphabeto 39. litera X. & V. ubi refert multos Doctores Parisienses ita sentisse. Gabriel in 4. quest. 1. art. 5. dub. 2. Corol. 2. Medina Cod. de restitut. quest. 3. caus. 8. Valentia 2. 2. quest. 6. punct. 4. Castropal. tract. 16. d. 1. punct. 7.*

54 Angeles, & Carbon. apud Sanchez *loc. cit. num. 6.* alisque congestis Molina tom. 3. *disput. 758. Sporer loc. cit. num. 200.* cum Layman, & aliis ibi citatis, Henno *loc. cit. tract. 1. disput. 5. quest. 8. concl. 1.* ubi dicit, hanc sententiam fuisse approbatam à Sixto V. & Gregorio XIV. ut videre est apud Emmanuelem Sà.

62 Tertia sententia media est, quia tenet, quod si debitis obstructis speret brevi tempore, manendo in seculo, *verb. grat. uno*, vel altero anno, posse debita in toto, vel in majori parte solvere; tunc non possit licite statim ingredi religionem, sed debeat consequi differre ingressum. Secus autem, si deberet ad longum tempus expectare: tunc enim facta cessione bonorum posset statim ingredi. Sic Lessius *lib. 2. cap. 16. dub. 8.* Azorius tom. 1. *lib. 12. cap. 1. quest. 5.* Ludovicus Lopez in *instrucone part. 1. cap. 29.* Navarrus *Comment. 1. de Regularibus num. 8.* Navarra *lib. 4. de restitut. cap. 4. difficult. ultima num. 78. & 79.* Lugo *disp. 21. sect. 6. num. 76.* Diana tom. 2. *tract. 2. de dubiis Regular. resolut. 41.* & aliis citatis Sanchez in *decalog. lib. 4. cap. 19. num. 8.* Dicastill. d. 10. à num. 129. & cum aliis La Croix *loc. cit. num. 441.*

63 Probatur igitur primo secunda sententia, quam, ut dixi, probabilior censeo, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona; argument. *cap. Super eo 4. de usuris, & cap. Ex tuarum 2. de sacrilegiis*, & concedunt omnes etiam adversarii; atqui prætermittere debita malum est, cum adversetur legi naturali, ergo debitor, antequam debita solvat, nequit licite ingredi Religionem, cum ingressus Religionis sit solum consilii, & obligatio solvendi debita sit præcepti Juris naturalis.

64 Probatur secundo. Servus perpetuus, seu mancipium non potest religionem ingredi, Domino contradicente, eo quod debeat ipsi operam suam, & Prælati recipientes subjacent excommunicationi, textu expresso in *cap. Qui vere 12. caus. 16. quest. 1. ibi*: "Neminem servorum suscipi in monasterium, ut sit cum eis Monachus, nisi cum domini propria licentia. Præterea vero hæc decernimus extra communionem esse, si nomen domini blasphemetur"; ergo nec debitor religionem ingredi potest, contradicentibus creditoribus, eo quod debeat ipsis pecuniam, aut æquivalentem. Item gravatus, seu obligati rationibus, priusquam se iis expedierint, nequeunt licite ingredi religionem, nec à Superioribus ad ipsam recipi; textu expresso in *cap. Legem 1. distinct. 53. ibi*: "Qui malitiæ, vel ratiociniis sunt publicis obligati.... Quod si etiam tales quomodo monasterium petunt, suscipiendi nullo modo sunt, nisi prius à ratiociniis absoluti fuerint"; & docet late S. Raymondus in *Summa lib. 2. tit. de Curial. & obligat. ad ratiocin. §. 4. vers.* Sequitur ut videamus: Silvester *verb. Religio 2. quest. 6.* Immo Sixtus V. constituit. *incip. Cum de omnibus*: expresse prohibuit ne debitis gravati, & ratiociniis obligati, antequam debita solverint, & à ratiociniis se expedierint, possint religionem ingredi, & ad ipsam à Superioribus admitti sub poena nullitatis admissionis, professionis, & sub poena privationis vocis activæ, & passivæ, & omnium officiorum, & dignitatum, & perpetuæ inhabilitatis ab illa, & alia quæcumque respectu Superiorum illos ad habitum, & professionem admittentium; Et quamvis Clemens VIII. constituit. *incipiente*: In suprema: talem nullitatem professionis sustulerit, tamen prohibitionem, & penas non sustulit; & sic quamvis tales debitores valide, illicite tamen ad habitum, & professionem admittuntur, adeoque, &c. (*Lit. R. pag. 56. col. 2. lit. L. pag. 237. in hisp.*)

65 Unde relictiis brevitatibus gratia aliis satis efficacibus rationibus, & probationibus solum adducuntur, & solvantur potissimæ adversariorum rationes, & objectiones. Primo igitur objicitur, quod homo liber propter debita non obligatur quoad personam, sed tantum quoad bona, adeoque inferunt, quod cedendo bonis, persona libera maneat, ut possit amplecti quemcumque statum, & præsertim perfectissimum Religionis. Sed ad id respondetur distinguendo antecedens; homo liber propter debita non obligatur quoad ipsam

personam in se, ita ut propter debita solvenda debeat se ipsum vendere, vel se creditori in servitium tradere, conceditur antecedens, quia hoc Jura vetant: Non obligatur quoad personam in ordine ab bona sua, ita ut si de facto non habeat unde solvat, non teneatur pro posse pecuniam acquirere, unde solvat, & non se reddere impotentem ad id acquirendum, uti in nostro casu fieret per ingressum, & professionem in religione; negatur absolute antecedens, & id, quod sequitur, quia id Juri naturæ repugnat; cum solutio debitorum sit Juris, & Justitiæ naturalis, ad quod Jus adimplendum nequit quis se mere voluntarie reddere impotentem ingrediendo, & proficundo religionem absque necessitate; cum religionis ingressus, & professio non sit præcepti, sed meri consilii, & libertatis; & solutio debitorum sit præcepti, & necessitatis.

Secundo objicitur, quod nemo tenetur solvere debi- 66 bitum cum detrimento boni sui majoris, seu altioris ordinis, adeoque cum bonum status Religiosi sit majus, & altioris Ordinis, quam bonum pecuniarum creditoribus debitum, sequitur, quod non teneatur abstinere à statu Religioso, ut debita solvat. Sed ad id respondetur distinguendo antecedens, si illud majus bonum sit necessarium ex præcepto, conceditur antecedens; si solum sit utile ex consilio ut in casu nostro est ingressus, & professio religionis, negatur antecedens, & id quod sequitur: Immo voluntaria omisio ingressus, & professionis religionis non ita præjudicat salutis æternæ, sicuti præjudicat voluntaria omisio solutionis debitorum; quia ingressus, & professio religionis est solum de consilio, & sine statu Religioso etiam voluntarie omisso non desunt secularibus viæ ad salutem æternam suam, & Prælati debitorum est de præcepto legit naturalis, & sine ipsa solutione voluntarie, cum possit commode fieri, omisa, non patet via ad salutem æternam secuta, quia non remittitur peccatum, nisi restitatur ablatum; *cap. Si res aliena 1. caus. 14. quest. 6. cap. Cum tu 5. de usuris, cap. Peccatum 4. de Regul. Juris in 6. adeoque, &c.*

Tertio objicitur, quod sicuti sponsus, immo maritus matrimonio rato tantum, non obstante obligatione sponsalium, vel matrimonii rati, religionem licite, & sancte ingredi potest, ita à pari etiam debitor non obstante obligatione solvendi debita: Sed ad id respondetur negando consequentiam, & paritatem, quia sponsi, & conjugis matrimonii tantum rati obligatio est traditione ecclesiæ: est solum conditionata, id est: *Nisi voluerit fieri Religiosus, seu Religiosa*, & talis conditio in neutrius injuriam cedit, cum in ea utraque pars æquali Jure gaudeat, & uterque sponsus, invito altero, religionem ingredi, & profiteri possit; Obligatio autem debitoris, sive ex contractu, sive ex delicto, est omnino absoluta, cum nullo Jure possit censi inesse talem conditionem: *Debita solvam, nisi vovero fieri Religiosus vel Religiosa*, & dato etiam, & non concessio, quod talis conditio posset censi inesse, quia caderet in solum præjudicium creditorum, non valeret, adeoque &c.

Unde si debitor religionem fuerit ingressus, & Profes- 67 sionem, cum ejus professio jam sit valida ex citat. constituit. Clementis VIII. *incip. In suprema*: si alia bona ad Religionem attulerit, tenetur omnino religio solvere prædicta debita juxta vires allatorum bonorum. *Communis*, per text. in *cap. Si qua mulier 9. caus. 19. q. 3. & leg. Deo nobis 56. §. 1. Cod. de Episcop. & Clericis*: Bonorum enim successor adstringitur debitis ejus, cui successit; *cap. In literis 5. de raptoribus*, quia qui sentit commodum, sentire debet & incommodum; *leg. Si merces 25. §. 6. ff. Locati, cap. Qui sentit 55. de regul. Jur. in 6. cum similibus.*

Si autem debitor nulla bona ad religionem attulerit, 68 quia nihil habebat, religio ex hoc capite ad nihil tenetur, quia religio, seu monasterium se habet ut hæres: hæres autem non tenetur ultra vires hæreditarias, præsertim si hæreditatem adierit cum beneficio Legis, & in-

Inventarii. Julius Clarus in §. fin. quest. 36. num. 45. Donatus prax. rerum Regul. tom. 2. tractat. 3. quest. 13. num. 13. Sporer loc. cit. num. 104. & alii communiter.

70 Si vero post ingressum, & professionem occasione ejus monasterium acquireret aliqua bona verb. grat. per successione hereditariam, per legatum, donationem, & hujusmodi, tunc monasterium teneretur ex illis satisfacere pro debitis prius contractis; arg. citat. cap. Si qua mulier 9. caus. 19. quest. 3. leg. Deo nobis 56. §. 1. Cod. de Episc. & Clericis, Donat. loc. cit. n. 14. Sporer loc. cit. num. 105. Sanchez lib. 7. decalog. tom. 2. cap. 31. num. 4. Lugo loc. cit. num. 79. & alii passim; Bona enim Religiosi, vel Jura ad ea, quae obveniunt, ita transeunt in monasterium media persona Religiosi, ut transeant cum onere, quod ea habuisset Religiosus; habuissent autem annexum onus restituendi, si mansissent in potestate, & dispositione Religiosi, adeoque monasterium tenetur ex illis satisfacere pro debitis prius ab ipso Religioso contractis, cum qui sentit commodum, sentire debeat & incommodum; leg. Si merces 2. §. 6. ff. Locati, cap. Qui sentit 55. de Regal. Juris in 6. Item propter eandem rationem tenetur monasterium solvere dicta debita prius contracta ex eis, quae Religiosus monasterio acquirit docendo, concionando, laborando, & hujusmodi, deductis tamen expensis. Sanchez loc. cit. num. 4. Lugo loc. cit. n. 79. La Croix loc. cit. num. 447.

72 Hinc Religiosus debitor, salva Ordinis regula, si possit artificio aliquo, vel manuum labore aliquid lucrari, tenetur sic laborare operibus suo statui, & conditioni praesenti convenientibus, ut pretium laboris impendat ad solutionem suorum debitorum; dummodo per hoc non negligatur divinum obsequium; cap. Clericus distinct. 91. deductis tamen expensis, ne sit onerosus monasterio, cap. De lapsis 5. caus. 16. quest. 6. §. Raymundus l. 3. Summ. in titul. de Curialibus, & obligat. ad ratiocinia §. 5. vers. Pone aliquem: Sporer loc. cit. num. 106. Lugo loc. cit. num. 81. Henno loc. cit. dispus. 5. quest. 5. conclus. 2. cum aliis ibi citatis, La Croix loc. cit. num. 448. cum Navarr. Medina, & aliis ibi citatis; Layman cit. cap. 22. num. 5. & alii contra alios.

73 Religiosus debitor excusatur, si superior neget ei licentiam ad id laborandi: Nec tunc tenetur egrediēte religione, quamvis sit spes probabilis sic satisfaciendi, n. g. per provisionem beneficij, parochia, & hujusmodi, ut tenet probabilior, & communior sententia cum La Croix loc. cit. num. 449. loc. cit. num. 177. & aliis contra alios.

74 Superior autem tenetur concedere licentiam honeste laborandi Religioso debitori, ut sic possit sua debita solvere, si scienter debitis gravatum ad religionem admisit quia ex tunc censetur sibi illam obligationem imposuisse; Secus autem si ignoratis ejus debitis, ex quo ea occultasset, vel negasset, ad habitum, & professionem admisit; tunc enim non teneretur talem licentiam concedere ex justitia, quia Superior nihil debet creditoribus, & potest pro libito de Religioso tamquam totaliter suo disponere abstrahendo, an opera, quibus ipsum applicat, impediunt solutionem, nec ne. Immo si subditus ex laborio occulto sine licentia saltem praesumpta Superioris satisfaceret creditoribus, fur esset, & latro, cum restitueret ex alieno, quia quidquid acquirit Monachus, acquirit monasterio; c. Statutum 1. caus. 18. quest. 1. cap. Abbatē 16. caus. 18. quest. 2. cap. Quia ingrediētibz 7. caus. 19. quest. 3. cap. In praesentia 8. de probantibus; Si tamen Superior possit concedere talem licentiam sine ulla indecentia, & incommodo Religiosis, videtur ad id teneri ex charitate, ne creditor careat suo debito; Henno loc. cit. conclus. 2. La Croix loc. cit. num. 450. cum aliis ibi citatis.

75 Excommunicatio creditoris, vel debitoris non excusat à restitutione faciēda; Communis contra paucos. Et quidem non excusat excommunicatio creditoris, quia licet negetur ei actio judicialiter petendi; c. Pia. 7. de exceptioibus in 6. tamen permittitur privatim petere,

nec prohibetur communicare cum aliis, si id exigat necessitas, vel magna utilitas, ut patet ex cap. Quoniam multos 103. caus. 11. quest. 3. sicut enim potest ipse libere communicare cum domesticis suis, cit. cap. Quoniam multos, cap. Inter alia 31. & cap. Si vere 34. de sentent. excommun. Ita etiam communicare potest cum suis debitoribus; & idem in cit. cap. Si vere: permittitur ipsi absolvere contractus inchoatos. Nec etiam excusat à restitutione faciēda excommunicatio ipsius debitoris, textu expresso in cit. cap. Si vere; Excommunicatus enim cogi potest comparere in Judicio per Procuratorem, ne videatur de sua malitia commodum reportare; cap. Intelleximus 7. de Judicis, leg. Non fraudantur 134. ff. de Regul. Juris §. 3. adeoque, &c.

An, si debitor morte plectatur, excusetur ejus haeredes à restitutione damni causati per delictum, ob quod fuit ultimo supplicio punitus? Vide supra art. 2. numer. 39. & 40.

Agit Auditor, licet caute legendus, in quinque hisce articulis de materia restitutionis accomodate magis ad forum poli, quam ad forum fori, ut ajunt. At si cupias, qui de hac ipsa materia utiliter ad forum fori agat, consule opus de eo quod interest, quod nomine Gaspari Manzii, & Friderici Martini, Ingolstadii anno 1305. typis Francisci Straus evulgavit Philippus Jacobus Krazer. Totam enim materiam hoc in libro adeo solide tractatam invenies, ut nihil fere ad ipsam spectans desiderare possis. ¶

RESTRICTIO MENTALIS.

SUMMARIUM.

- 1 Restrictio mentalis est duplex, una pure mentalis & alia non pure mentalis, & quae sit utraque, remissive.
2 Amphibologia, seu aequivoçatio quid sit.
3 Restrictio pure mentalis, & amphibologia, seu aequivoçatio facta per restrictionem pure mentalem, non excusat à mendacio, & perjurio.
4 Restrictio non pure mentalis, sed aliquo sufficienti modo externata, & amphibologia, seu aequivoçatio per verba, aut signa externa per se aequivoçata, excusat à mendacio, & perjurio in omnibus casibus in quibus ex justa causa habet quis jus, seu debitum, ad occultandam veritatem.
5 Hinc Confessarius, quomvis interrogetur à Tyranno, an aliquid sciat ut Confessarius, & scientia Sacramentali, de peccato Penitentis? Poterit etiam cum juramento asserere se nihil scire, etiam spectata tali scientia Sacramentali, retinendo in mente ad dicendum.
6 Sic Secretarius regni ad occultandam veritatem, & servandum sibi impositum sigillum poterit uti amphibologia, aut aequivoçatione, vel restrictione non pure mentali, etiam cum juramento. Idem dicendum est de Uxore adultera à marito interrogata ad necem, an commiserit adulterium, & sic de aliis similibus casibus.
7 Ita qui ex praesumptione falsa interrogatur à Judice, non tenetur confiteri propositionem veram, ubi, ista confessio, condemnandus esset in foro externo de crimine, vel debito, ad quod revera in foro conscientiae non tenetur, nec negando cum juramento pejerat.
8 Item qui juramento interrogatur, an veniat ex tali loco, qui falso existimatur peste infectus, jurare potest se inde non venire, subintelligendo eo loco, qualis existimatur, nimirum peste infecto; Immo, secundum multos, etiamsi talis locus esset vere infectus, si tamen celeriter transiens certo crederet se nihil inde luis contraxisse, adhuc jurare posset non transisse, utendo eadem restrictione.
9 Item si Clericus, vel Religiosus sit coram Judice seculari conventus: non solum ipse pro se, sed etiam alij pro ipso jurare possunt cum nihil deliquisse uten-

utendo hac restrictione, ut coram tali incompetente Judice deponi debeat; Item si Clericus, vel Religiosus, aut alia persona exempta à gabellis solventis interrogetur à Gabellario, an habeat, seu portet aliquid gabellae obstructum? Jurare potest se nihil habere, seu portare, utendo hac restrictione, Nihil habeo, seu porto, ex quo gabellam solvere debeam.

- 10 Affertur aliud notabile exemplum cum sua licita restrictione.
11 Quomodo excusentur Mercatores, qui dicunt, vel etiam jurant se non posse pro tali pretio talem mercem vendere, vel sibi pluris constare, licet in rigore hoc verum non sit.
12 Reus an, & quando teneatur, vel non fateri veritatem Judici ipsum interroganti cum juramento ad n. 14.

RESTRICTIO mentalis est duplex; Una pure mentalis, & alia non pure mentalis, & quae sit utraque? Vide verb. Juramentum art. 1. à num. 14.

Amphibologia, seu aequivoçatio proprie est locutio, quae sua significatione generat in audiente conceptum diversum ab eo quem loquens retinet in mente; Est in re Communis.

Restrictio pure mentalis, & amphibologia, seu aequivoçatio facta per restrictionem pure mentalem non excusat à mendacio, seu perjurio; Communis, & habetur clare ex tribus sequentibus propositionibus 26. 27. 28. in ordine justissime damnatis ab Innocentio IX. die 2. Martii 1679. Proposit. 26. Si quis, vel solus, vel coram aliis sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus. Propos. 27. Causa justa utendi bis amphibologus est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa. Propos. 28. Qui mediante commendatione, vel munere, ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali praestare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

Restrictio non pure mentalis, sed aliquo sufficienti modo externata, & amphibologia, seu aequivoçatio per verba, aut signa externa per se aequivoçata, excusat à mendacio, & à perjurio in omnibus casibus, in quibus ex justa causa habet quis jus, seu debitum ad occultandam secretum. Vide verb. Juramentum, art. 1. num. 13. verb. Mendacium num. 21. & 22.

Hinc Confessarius, quomvis interrogetur à Tyranno, an aliquid sciat ut Confessarius, & scientia Sacramentali de peccato Penitentis, poterit etiam cum juramento asserere se nihil scire, etiam spectata tali scientia Sacramentali, retinendo in mente ad dicendum. Vide verb. Juramentum art. 1. num. 15.

Sic Secretarius regni ad occultandam veritatem, & servandum sibi impositum sigillum poterit uti amphibologia, aut aequivoçatione, vel restrictione non pure mentali etiam cum juramento. Idem dicendum est de uxore adultera à marito interrogata ad necem, an commiserit adulterium, & sic de aliis similibus casibus. Vide ib. num. 16.

Ita qui ex praescriptione falsa interrogatur à Judice, non tenetur confiteri propositionem veram, ubi ista confessio, condemnandus esset in foro externo de crimine, vel debito, ad quod revera in foro conscientiae non tenetur, nec negando cum juramento pejerat. Vide ib. num. 17.

Item qui juramento interrogatur, an veniat ex tali loco, qui falso existimatur peste infectus? jurare potest se inde non venire subintelligendo eo loco, qualis existimatur, nimirum peste infecto. Immo secundum multos, etiamsi talis locus esset vere infectus, si tamen celeriter transiens certo crederet se nihil inde luis contraxisse, adhuc jurare posset non transisse, utendo eadem restrictione.

Item si Clericus, vel Religiosus sit coram Judice seculari conventus: non solum ipse pro se, sed etiam alij pro ipso jurare possunt cum nihil deliquisse uten-

traxisse, adhuc jurare posset, non transisse utendo eadem restrictione. Vide ib. num. 18.

Item si Clericus, vel Religiosus sit coram seculari Judice conventus, non solum ipse pro se, sed etiam alii pro ipso jurare possunt cum nihil deliquisse, utendo hac restrictione, ut coram tali incompetente Judice deponi debeat. Item si Clericus, vel Religiosus, aut alia persona exempta à Gabellis solventis interrogetur à Gabellario, an habeat, seu portet aliquid gabellae obstructum? Jurare potest se nihil habere, seu portare, utendo hac restrictione: Nihil habeo, seu porto, ex quo gabellam solvere debeam. Vide ib. num. 19.

Monitum Romani Censoris praemittendum verb. Restrictio in hac novissima editione.

Facilem se praebere Auctorem nostrum in aequivoçationibus, restrictionibusque mentalibus indulgentibus, mediis quibusdam distinctiunculis eo dumtaxat tendentibus, ut propositionum hac de re damnatarum censura eludatur, ex variis locis hujusce Bibliothecae ingenue Lectori plene constat. Nos ne maneri nostro deesse videremur, ubicumque hanc doctrinam christianae simplicitati minime consentaneam tradi perperisimus, illi debitis animadversionibus occurrere studuimus, ut verb. Accusatus à num. 18. ad num. 24. ac in notis ad num. 28. & ad calcem Articuli, nec non verb. Juramentum in not. ad num. 26. itemque verb. Mendacium in not. ad num. 21. Eandem doctrinam adstruere conatur idem auctor in universo fere hoc articulo, quem si emendare aggredieremur, totum illum reformaremus, oporteret opus sane supervacaneum. Lectores itaque dumtaxat monemus, ut caveant à sententiis ibi expositis à num. 4. ad num. 9. nec minoris cautela legendum esse scias sequentem articulum Reus.

Nota Nihil unquam excusat à perjurio: Quare nec etiam admitterem, posse Secretarium regni juramento uti in casu proposito num. 6. Idem dicto de casibus num. 7. 8. & 9. enodatis.

Sed hic recurrit pro me responsio mox num. 56. data, ut videantur pro dictis meis assertionibus allata solida fundamenta sub verb. Accusatus à num. 10. ad 43. & sub verb. Juramentum à num. 13. ad 26. & Scotus in 4. dist. 15. quest. 4. art. 3. & cum aliis Mastrois theolog. moral. disp. 10. in quest. 9. art. 1. num. 171. & 172. & disp. 6. quest. 2. art. 3.

Affertur aliud notabile exemplum cum sua licita restrictione. Vide ib. num. 20.

Quomodo excusentur Mercatores, qui dicunt, vel etiam jurant se non posse pro tali pretio talem mercem vendere, vel sibi pluris constare, licet in rigore hoc verum non sit? Vide ib. num. 21.

Reus an, & quando teneatur, vel non, fateri veritatem Judici ipsum interroganti sub juramento? Vide verb. Accusatus à num. 10. ad 43.

Affertur, & solvitur instantia. Vide dict. verb. Juramentum, art. 1. num. 23.

Affertur, & solvitur alia instantia. Vide ib. num. 24. 14. & 25.

RETRACTUS GENTILITUS. Vide verb. Emptio, art. 4. à num. 26. ad 42.

REUS.

SUMMARIUM.

- 1 Reus unde dicatur, quid probare teneatur: quis favor in re obscura: quam obligationem habeat circa scripturarum exhibitionem: ubi conveniendus: quid si non reperitur: quid si convictus: an alium possit accusare, ad num. 10.
11 Juste damnatus potest rejicere victum, ut fame pereat: an licite possit fugere: utrum auxilium ei valeat impartiri, ad num. 21.